



Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] secundum aliquam earum specierum iustum idem quod
contrapassum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

vſus gratis conceditur , vocatur locatio , & condu-
ctio . Tertio modo aliquis tradit rem suam vt recupe-
randam , non ratione vſus : sed vel ratione conserua-
tionis , sicut in deposito : vel ratione obligationis , si-
cūt cūm quis rem suam pignori obligat , seu cūm ali-
quis pro alio fideiubet . In omnibus autem huiusmo-
di actionibus siue voluntarijs , siue inuoluntarijs , est
eadem ratio accipiendo medium , secundum æqua-
litatem recompensationis . Et ideo omnes istæ actiones
ad vnam speciem iustitiae pertinent , scilicet
ad communiatum .

Et per hoc patet responsio Ad obiecta .

ARTIC. IV.

*Vtrum iustum sit simpliciter idem quod con-
trapassum?*

343
3. Ethic.
le. 8.

AD quartum sic proceditur . Videatur , quod iustum
sit simpliciter idem quod contrapassum . Judi-
cium enim diuinum est simpliciter iustum . Sed hæc
est forma diuini iudicij , vt secundum quod aliquis
fecit , patiatur ; secundum illud Matth . 7 . In quo iu-
dicio iudicaueritis , iudicabimini : & in qua mensura
mensi fueritis , remetietur vobis . Ergo iustum est sim-
pliciter idem quod contrapassum .

F 2 Præterea , In virtute iustitiae specie datur ali-
quid alicui secundum quamdam æqualitatem : in
respectu quidem ad dignitatem personæ , in iustitia
distributiva , que quidem personæ dignas , maxi-
mè videtur attendi secundum opera , quibus aliqui
communitati seruiunt : in respectu autem ad rem ,
in qua quis damnificatus est , in iustitia communitati-
ua . Secundum autem veramque æqualitatem ali-
quis contrapatitur secundum quod fecit . Ergo vide-
tur , quod iustum simpliciter sit idem quod contra-
passum .

F 3 Præterea , Maximè videtur quod non oporteat aliquem contrapati , secundum quod fecit , pro-
prie cisteriem voluntarij & inuoluntarij . Qui
enī in inuoluntarij fecit iniuriam , minus punitur .

Sed

Sed voluntarium, & iniuoluntarium, quæ accipiuntur ex parte nostra, non diuersificant medium iustitiae: quod est medium rei, & non quo ad nos. Ergo iustum simpliciter videtur esse idem quod contrapassum.

SED contra est, quod Philosophus in 5. * Ethic. c. 5. fo. 5. probat non quodlibet iustum esse contrapassum.

RESPONDEO dicendum, quod hoc quod dicitur contrapassum, importat æqualem recompensationem passionis ad actionem præcedentem. Quod quidem propriissimè dicitur in passionibus, & actionibus iniuriosis, quibus aliquis personam proximi lredit: puta si percutit, quod repercutitur. Et hoc quidem iustum determinatur in lege, Exodi 21. Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, &c. Et quia etiam auferre rem alterius, est quoddam iniustum facere; ideo secundariò etiam in his dicitur contrapassum, prout scilicet aliquis qui damnum intulit, in re sua etiam ipse damnificatur. Et hoc etiam iustum damnum continetur in lege, Exodi 22. Si quis furatus fuerit bouem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit: quinque boves pro uno bove restituer, & quatuor oves pro una oue. Tertiò verò transfertur nomen contrappassi ad voluntarias commutaciones, in quibus virtusque est actio, & passio: sed voluntarium diminuit de ratione passionis, vt dictum est *. In 9.59. a. 3. omnibus autem his debet fieri secundum rationem 6. ar. 5. et iustitiae commutatiæ recompensatio secundum: 9.34. a. 3. æqualitatem, vt scilicet passio compensata sit æqua lis actioni. Non autem semper esset æqualis, si idem specie aliquis pateretur, quod fecit. Nam primò quidem cum aliquis iniurioso lredit alterius personam maiorem, maior est actio quam passio eiusdem speciei quam ipse pateretur. Et ideo ille qui percutit principem, non solum repercutitur, sed multo gravius punitur. Similiter etiam cum quis aliquem iniuoluntarium in re sua damnificat, maior est actio, quam esset passio, si sibi sola res illa auferretur.

Quia

quia ipse qui dammificauit alium in re sua , nihil
dammificaretur . Et ideò punitur in hoc, quod multi-
plicius restituat : quia etiam non solum damnifi-
cauit personam priuatam , sed rempublicam , eius
tutelæ securitatem infringendo . Similiter etiam
nec in commutationibus voluntarijs esset semper
æqualis passio , si quis daret rem suam , accipiens
rem alterius : quia fortè res alterius est multo ma-
ior quam sua . Et ideò oportet secundum quam-
dam proportionatam commensurationem adæqua-
re passionem actioni in commutationibus : ad quod
inuenta sunt numismata . Et sic contrapassum est
commutatiuum iustum . Quod in distributiua iusti-
tia locum non habet : quia in distributiua iusti-
tia non attenditur æqualitas , secundum propor-
tionem rei ad rem , vel passionis ad actionem ,
vnde dicitur contrapassum : sed secundum pro-
portionalitatem rerum ad personas , ut suprà di-
cūm * est .

*art. 2. huu-
ius q.* Ad primum ergo dicendum , quod illa forma di-
uini iudicij attenditur secundum rationem commu-
tatiue iustitiae , prout scilicet recompensat præmia
meritis , & supplicia peccatis .

Ad secundum dicendum , quod si alicui qui com-
munitati seruisset , retribueretur aliquid pro seruicio
impenso , non esset hoc distributiua iustitiae , sed com-
mutatiue . In distributiua enim iustitia non attendi-
tur æqualitas eius quod quis accipit , ad id quod ip-
se impedit : sed ad id quod alias accipit , secundum
modum utriusque personæ .

Ad tertium dicendum , quod quando actio iniur-
iosa est voluntaria , excedit iniuriam : & sic accipi-
tur ut maior res . Vnde oportet maiorem pœnam ei
recompensari , non secundum differentiam quo ad
nos , sed secundum differentiam rei .